



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 1. Maximiliani I. Imperatoris obitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CXXVI.

LEO X. PONTIFEX.  
MAXIMILIANUS I. CAROLUS V.  
OCCIDENT. IMPERAT.

§. I.

*Maximiliani I. obitus.*

Ineunte anno millesimo quingentesimo  
decimo nono die duodecima Januarii  
Lincii in Austria extremum diem obiit Maximilianus I. Augustissimus Cæsar, annos natus sexaginta tres. Jam aliquamdiu lenta feбри correptus ægre animam trahebat, accedente vero alvi profluvio ex Medicorum consilio utrique

Sæcul. XVI.  
A. C. 1519.

*Surius in  
Comm. ex  
P. Jovio l. 19  
Sleidan. hoc  
anno.  
Gnicc. h. 13.*

D d 3 malo,

**Sæcul. XVI.** malo, ne mortem inferret, quædam portio præscribatur, quæ tamen tempore non satis commodo adhibita, aucta morbi vi, Cæsaris obitum accelerabat. Is Imperio præerat, defuncto Friderico ejus Patre, viginti quinque omnino annis cum quinque mensibus: Sepulturæ vero locum sibi elegit Neostadium, quo etiam corpus ejus delatum fuit. Binas habuit uxores, quarum prima erat Maria Caroli Burgundiæ Ducis filia, ex qua Philippum suscepit, qui ducta in conjugem Joanna IV. Carolum V. progenuit. Obiit illa Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo secundo. Altera fuit Blanca Galeatii Mariæ Mediolani Ducis Filia.

## §. II.

*Imperatoris hujus indoles.*

*La Bizard. hist. gestorum in Eccles. memorabl. p. 18.* **M**aximilianus non modo ante adeptam supremam imperii dignitatem, sed etiam postea censebatur Princeps in consiliis vacillans, ac mobilis, novitatis amans, & ad magna feliciter constanterque exequenda ingenio imbecillis; unde non raro tantis implicabatur turbis, curisque, ut ejus conatibus nunquam secundus colluderet successus. Nihilominus tamen toto imperii sui tempore adversus aliquem ex suis hostibus bellum gerebat,